

6. *An Agnus Paschalis in N. T. sit jure abrogatus?*

Aff. Quia 1. Fuit typus Christi immolandi. 2. Alligatus fuit ad tabernaculum Leviticum, quo delinente, cessavit, 1. Cor. 5.

IN LOCO

DE BAPTISMO.

THEOREMATA.

1. **E**tymologia est, quod Baptismus dicitur ἀπὸ τοῦ βαπτίζεν, id est, immergere, *Esa. 21. v. 4 βαπτίζεν* vero in genere significat lavare, *Judit. 2, 7. Marc. 7, 4.* Hebræi dicunt בָּרַח *Levit. 4, 6. Job. 9, 31. 2. Reg. 5, 14. & עָרַב* *Exod. 15, 4. Psalm. 9, 17. Psal. 90, 7.* quorum utrumque significat mergere, intingere.
2. Homonymia est, quod in Scripturis sumitur vel proprie, vel tropice.
3. Proprie significat, tum quamvis lotionem, *Hebr. 9, 19. Marc. 7, 4. 8. Luc. 11, 28.* tum Sacramentum Novi Testamenti, eaque significatio hujus loci propria est.
4. Tropice significat crucem, *Matt. 20, 22.* Institutionem in pietate, *Matth. 21, 26.* Miraculosam Israelitarum, per mare rubrum lucida nube ductorum, transitionem, *1. Cor. 10, 1. 2.*
5. Synonymia est, quod dicatur aqua, *Job. 3, 5. Hebr. 10, 21. 1. Job. 5, 6.* Lavacrum aquæ in verbo, *Eph. 5, 26.* Lavacrum regenerationis ac renovationis, *Tit. 3, 5.* Circumcisio non facta manibus, *Col. 2, 11.* Circumcisio Christi, *ibid. diluvium, Psal. 29, 10.*
6. Baptismus ergo est primum Novi Test. Sacramentum, quo homo in aquam immergitur, vel aqua aspergitur, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, ut regeneretur per Spiritum Sanctum.
7. Genus definitionis est primum Novi Test. Sacramentum.
8. Audit autem sic. 1. Ratione institutionis, quadriennio enim ferme ante Cœnam institutus; nempe anno ætatis Christi supra 29. quia Johanni factum mandatum *Matth. 3. & Job. 1.* ætatis 30. 2. Ratione administrationis, nam Johannes & Apostoli Christi Baptismum administraverunt, cœna nondum instituta, *Matth. 3, 9.* & adhuc hodie nemo ad Cœnam admittendus, nisi prius baptismate tinctus & initiatus sit.
9. Differentia sumitur à causis, quas ordine explicabimus cum adjunctis.
10. Effic-